

esset bonum: & simul de omnibus: *Videns cuncta quae fecerat, & erant valde bona.* Si igitur animas creavit à corporibus separatas, oportet dicere, quod hic modus essendi sit convenientior naturae earum. Non est autem ad ordinationem divinæ bonitatis pertinens, res ad inferiorem statum reducere, sed magis ad meliorem promovere. Non igitur ex divina ordinatione factum fuisset quod anima corpori uniretur.

2. Præterea. Non pertinet ad ordinem divinæ sapientiae, cum superiorum detrimento, ea quæ sunt infima, nobilitare. Infima autem in rerum ordine sunt corpora generabilia, & corruptibilia. Non igitur fuisset conveniens ordini divinæ sapientiae ad nobilitandum humana corpora, animas præexistentes eis unire, cum hoc sine detrimento earum esse non possit, ut ex dictis patet.

Hoc autem Origenes considerans, cum poneret animas humanas à principio fuisse creatas, dixit quod ordinatione divina animæ corporibus sunt unitæ, sed in earum penam: nam ante corpora eas peccasse existimavit; & pro quantitate peccati corporibus nobilioribus vel minus nobilibus eas unitas esse, quasi quibusdam carceribus inclusas.

Sed hæc positio stare non potest. 1. Pena enim bono naturæ adversatur, & ex hoc dicitur mala. Si igitur unio animæ, & corporis est quoddam penale, non est bonum naturæ; quod est impossibile: est enim intentum per naturam, nam ad hoc naturalis generatio terminatur. Et iterum sequeretur quod esse hominem non esset bonum secundum naturam; cum tamen Genes. 1. 31. dicatur post hominis creationem: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, & erant valde bona.*

2. Præterea. Ex malo non provenit bonum nisi per accidens. Si igitur propter peccatum animæ separata hoc constitutum est quod anima corpori uniretur; cum hoc sit quoddam bonum, per accidens erit. Casuale igitur fuit quod homo fieret: quod derogat divinæ sapientiae, de qua dicitur Sapientiae xi. quod omnia in numero, pondere, & mensura instituit.

3. Adhuc autem & hoc repugnat apostolicæ doctrinæ manifeste: dicitur enim Roman. ix. 11. de Jacob, & Esau; quod *cum nondum nati essent, aut aliquid boni, aut mali egissent: dictum est, quod majori serviet minori.* Non igitur antequam hoc verbum diceretur, aliquid eorum animæ peccaverant; cum tamen hoc post eorum conceptionem dictum fuerit, ut patet Genes. cap. xlv.

Sunt autem supra, cum de distinctione rerum ageretur, plura contra Origenis positionem inducta; quæ etiam hic possent assumi: & ideo eis prætermisissis, ad alia transeundum est.

4. Item. Necessè est dicere, quod anima humana aut indigeat sensibus, aut non. Videtur autem manifeste per id quod experimur, quod indigeat sensibus: quia qui caret sensu aliquo, non habet scientiam de sensibilibus quæ cognoscuntur per sensum illum; sicut cæcus natus nullam scientiam habet, nec aliquid intelligit de coloribus. Et præterea si non sunt necessarij humanæ animæ sensus ad intelligendum, non inveniretur in homine aliquis ordo sensitivæ, & intellectivæ cognitionis; cujus contrarium experimur: nam ex sensibus fiunt in nobis memoriæ, ex quibus experimenta de rebus accipimus, per quæ ad comprehendendum universalia scientiarum, & artium principia pervenimus. Si ergo anima humana ad intelligendum sensibus indiget, natura autem nulli deficit in necessariis ad propriam operationem explendam; sicut animalibus habentibus animam sensitivam, &

motivam dat convenientia organa sensus, & motus; non fuisset anima humana sine necessariis administrabilis sensuum instituta. Sensus autem non operantur sine organis corporeis, ut ex dictis cap. lvii. & lxxviii. patet. Non igitur fuit instituta anima sine corporeis organis. Si autem anima humana non indiget sensibus ad intelligendum, & propter hoc dicitur absque corpore fuisse creata; oportet dici, quod antequam corpori uniretur, omnium scientiarum veritates intelligebat per se ipsam: quod Platonicis concesserunt, dicentes, ideas, quæ sunt formæ rerum intelligibiles separatae, secundum Platonis sententiam, causam scientiæ esse; unde anima separata, cum nullum impedimentum adesset, plenarie omnium scientiarum cognitionem accipiebat. Oportet igitur dicere; quod dum corpori unitur, cum inveniatur ignorans, oblivionem præhabita scientiæ patitur: quod etiam Platonicis consentitur; huius rei signum esse dicentes, quod quilibet quantumcumque ignoret, ordinate interrogatus de his quæ in scientiis traduntur, veritatem respondet; sicut cum aliquis jam obliquo aliquorum quæ prius scivit, seriatim proponit ea quæ prius fuerat oblitus, in eorum memoriam ipsum reducit. Ex quo etiam sequeretur quod addiscere non esset aliud quam reminiscere.

Sic igitur ex hac positione de necessitate concluditur, quod unio corporis & animæ præter intelligentiæ animæ impedimentum. Nulli autem rei natura adjunxit aliquid per quod sua operatio impediat; sed magis ea per quæ fiat convenientior. Non igitur erit unio corporis & animæ naturalis; & sic homo non erit res naturalis, nec ejus generatio naturalis: quæ patet esse falsa.

5. Præterea. Ultimus finis rei cuiuslibet est id ad quod res pervenire nititur per suas operationes. Sed per omnes proprias ordinatas operationes & rectas homo pervenire nititur in veritatis contemplationem: nam operationes virtutum activarum sunt quædam præparationes & dispositiones ad virtutes contemplativas. Finis igitur hominis est pervenire ad veritatis contemplationem. Propter hoc igitur anima est unita corpori, quod est esse hominem. Non igitur per hoc quod unitur corpori, scientiam habitam perdit; sed magis ei unitur, ut scientiam acquirat.

6. Item. Si aliquis scientiarum ignarus, de his quæ ad scientias pertinent, interrogetur, non respondebit veritatem nisi de universalibus principiis, quæ nullus ignorat, sed sunt ab omnibus eodem modo, & naturaliter cognita; postmodum autem ordinate interrogatus, respondebit veritatem de his quæ sunt propinqua principiis, habito respectu ad principia; & sic deinceps quousque veritatem primorum principiorum ad ea de quibus interrogatur, applicare potest. Ex hoc igitur manifeste apparet quod per principia prima, in eo qui interrogatur, causatur cognitio de novo. Non igitur prius habitæ notitiæ reminiscitur.

7. Præterea. Si ita esset animæ naturalis cognitio conclusionum sicut principiorum, eadem esset scientia apud omnes de conclusionibus sicut de principiis: quia quæ sunt naturalia, sunt eadem apud omnes. Non est autem eadem scientia apud omnes de conclusionibus, sed solum de principiis. Patet igitur quod cognitio principiorum est nobis naturalis, non autem conclusionum. Quod autem non est naturale nobis, acquirimus per id quod est naturale, sicut etiam in exterioribus per manus institutum omnia artificialia. Non ergo conclusionum scientia est in nobis nisi ex principiis acquisita.

Ad

8. Adhuc. Cum natura semper ordinetur ad unum, unius virtutis oportebit esse naturaliter unum obiectum, sicut visus colorem, & auditus sonum. Intellectus igitur, cum sit una vis, est ejus unum naturale obiectum, cujus per se & naturaliter cognitionem habet. Hoc autem oportet esse id sub quo comprehenduntur omnia ab intellectu cognita; sicut sub colore comprehenduntur omnes colores, qui sunt per se visibiles, quod non est aliud quam ens naturaliter. Igitur intellectus noster cognoscit ens, & ea quæ sunt per se entis, in quantum hujusmodi: in qua cognitione fundatur primorum principiorum notitia, ut non esse simul affirmare, & negare, & alia hujusmodi. Hæc igitur sola principia intellectus noster naturaliter cognoscit; conclusiones autem per ipsa, sicut per colorem cognoscit visus omnia sensibilia, tam communia, quam sensibilia per accidens.

9. Præterea. Id quod per sensum in nobis acquiritur, non infuit animæ ante corpus. Sed ipsorum principiorum cognitio in nobis ex sensibilibus causatur: nisi enim aliquod totum sensu percipissemus, non possemus intelligere quod totum esset majus parte, sicut nec cæcus natus aliquid percipit de coloribus. Ergo nec ipsorum principiorum cognitio affuit animæ ante corpus: multo igitur minus aliorum. Non igitur firma est Platonis ratio, quod anima fuit antequam uniretur corpori.

10. Item. Si omnes animæ præxiterunt corporibus quibus uniantur, consequens videtur quod eadem anima secundum vicissitudinem temporum diversis corporibus uniat: quod quidem aperte consequitur ponentes æternitatem mundi: si enim generatio hominum est sempiterna, oportet infinita corpora humana generari, & corrumpi secundum totum temporis decursum. Aut ergo oportebit dicere, animas præxiterisse actu infinitas, si singulæ animæ singulis corporibus uniantur; aut oportebit dicere, si animæ sunt finitæ, quod eadem uniantur nunc his, nunc illis corporibus. Idem autem videtur sequi, si ponantur animæ præfuisse corporibus, cum & hæc generatio non sit æterna. Etsi enim ponatur humana generatio non semper fuisse, tamen nulli dubium est quin secundum naturam in infinitum possit durare: sic enim est unusquisque naturaliter institutus, nisi per accidens impediatur, ut sicut est ab alio generatus, ita possit alium generare. Hoc autem est etiam impossibile, si animabus existentibus finitis, una pluribus corporibus uniri non possit: unde & plures ponentium animas ante corpora, ponunt transitum animæ de corpore in corpus. Hoc autem est impossibile. Non igitur animæ ante corpora præxiterunt. Quod autem sit impossibile unam animam diversis corporibus uniri, sic patet.

11. Animæ enim humanæ non differunt specie ab invicem, sed numero solo; alioquin & homines specie differrent. Differentia autem secundum numerum inest secundum principia materialia. Oportet igitur diversitatem animarum humanarum secundum aliquid materiale sumi. Non autem ita quod ipsius animæ sit materia pars: ostensum enim supra cap. l. quod est substantia intellectualis, & quod nulla talis substantia materiam habet. Relinquitur ergo quod secundum ordinem ad diversas materias, quibus animæ uniantur, diversitas, & pluralitas animarum sumatur, eo modo quo supra dictum est. Si igitur sunt diversa corpora, necesse est quod habeant diversas animas sibi unitas: non igitur una pluribus unitur.

2. Adhuc. Ostensum est supra cap. lvi. 1. animam uniri corpori ut formam. Formas autem oportet esse

propriis materiis proportionatas; cum se habeant ad invicem sicut potentia, & actus: proprius autem actus propriæ potentiæ responderet. Non ergo una anima pluribus corporibus unitur.

3. Amplius. Virtutem motoris oportet esse suo mobili proportionatam: non enim quæcumque virtus movet quodcumque mobile. Anima autem etsi non sit forma corporis, non tamen potest dici, quod non sit motor ipsius: animatum autem ab inanimato distinguimus sensu, & motu. Oportet igitur secundum diversitatem corporum esse diversitatem animarum.

4. Item. In his quæ generantur, & corrumpuntur, impossibile est per generationem reiterari idem numero: cum enim generatio, & corruptio sit motus in substantiam in his quæ generantur, & corrumpuntur, non manet substantia eadem, sicut manet in his quæ secundum locum moventur. Sed si una anima diversis corporibus generatis unitur successive, reddidit idem numero homo per generationem: quod secundum Platonem de necessitate sequitur, qui dixit, hominem esse animam corpore indutam: sequitur etiam & in aliis quibuscumque; quia cum unitas rei sequatur formam, sicut & esse, oportet quod illa sint idem numero quorum est forma numero una. Non igitur est possibile unam animam diversis corporibus uniri: ex quo etiam sequitur quod nec animæ fuerunt ante corpora.

Huic autem veritati, catholicæ fidei sententia concordat: dicitur enim in Psalm. xxxi. 15. *Qui finxit singillatim corda eorum:* quia scilicet unicuique seorsum proprie Deus animam fecit; non autem simul omnes creavit, nec unam diversis corporibus adjunxit. Hinc etiam in Libro de Ecclesiasticis dogmatibus, cap. xiv. dicitur: *Animas hominum dicimus non esse ab initio inter cæteras intellectuales naturas, nec simul creatas, sicut Origenes finxit.* Lib. I. Periarc. cap. vii.

CAPUT LXXXIV.
Solutio rationum contra superiorem conclusionem.

Rationes autem quibus probatur, animas ab æterno non fuisse, vel saltem corporibus præxiterisse, facile est solvere.

Quod enim primo dicitur, animam habere virtutem ut sit semper, concedi oportet. Sed sciendum, quod virtus, & potentia rei non se extendit ad id quod fuit, sed ad id quod est, vel erit: unde & in præteritis possibilitas locum non habet. Non igitur ex hoc quod anima habet virtutem ut sit semper, potest concludi, quod semper fuerit; sed quod semper erit. Præterea ex virtute non sequitur id ad quod est virtus, nisi præsupposita virtute. Quamvis igitur anima habeat virtutem ut sit semper, non tamen potest concludi quod anima sit semper, nisi postquam hanc virtutem accepit. Si autem sumatur, quod hanc virtutem ab æterno habuerit, erit petendum id quod oportebit probari, scilicet quod fuerit ab æterno.

Quod vero objicitur de æternitate veritatis, quam intelligit anima, considerare oportet, quod intellectus veritatis æternitas potest intelligi dupliciter: uno modo quantum ad id quod intelligitur; alio modo quantum ad id quo intelligitur. Et si quidem veritas intellecta sit æterna quantum ad id quod intelligitur, sequetur æternitas rei quæ intelligitur, non autem intelligentis. Si autem veritas intellecta sit æterna quantum ad id quo intelligitur, sequetur intelligentem animam esse æternam. Sic autem veritas intellecta non est æterna, sed primo modo. Ex præmissis

R 2

enim

enim patet, species intelligibiles quibus anima nostra intelligit veritatem, de novo nobis advenire ex phantasmatibus per intellectum agentem: unde non potest concludi quod anima sit æterna, sed quod veritates intellectæ fundentur in aliquo æterno: fundantur autem in ipsa prima veritate sicut in causa universali contentiva omnis veritatis. Ad hoc autem æternum comparatur anima non sicut subjectum ad formam, sed sicut res ad proprium finem. Nam verum est bonum intellectus, & finis ipsius: ex fine autem argumentum accipere possumus de rei duratione, sicut & de initio rei argumentari possumus per causam agentem: quod enim est ordinatum ad finem sempiternum, oportet esse capax perpetuæ durationis: unde potest probari ex æternitate veritatis intelligibilis immortalitas animæ, non autem ejus æternitas.

Quod vero non possit probari ex æternitate agentis, patet ex his quæ supra cap. xxxi. & infra dicta sunt, cum de æternitate creaturarum quæreretur.

Quod etiam tertio objicitur de perfectione universi, necessitatem non habet. Universi enim perfectio attenditur quantum ad species, non quantum ad individua; cum continue universo plurima individua addantur præexistentium specierum. Animæ autem humanæ non sunt diversæ secundum speciem, sed solum numero, ut probatum est cap. lxxv. Unde non repugnat perfectioni universi, si animæ de novo creentur.

Ex quo etiam patet solutio ad id quod quarto objicitur. Similiter enim dicitur Genes. i. quod Deus consummavit opera sua, & quod requievit ab omni opere quod pararat. Sicut ergo consummatio, sive perfectio creaturarum secundum species consideratur, & non secundum individua; ita quies Dei est intelligenda secundum cessationem à novis speciebus condendis, non autem à novis individuis, quorum similia secundum speciem præcesserunt: & sic cum omnes animæ humanæ sint unius speciei, sicut & omnes homines, non repugnat prædictæ quieti, si Deus quotidie novas animas creat.

Sciendum autem est, quod ab Aristotele non invenitur dictum, quod intellectus humanus sit æternus, quod tamen dicere consuevit in his quæ secundum suam opinionem semper fuerunt. Dicit autem ipsum esse perpetuum: quod quidem potest dici de his quæ semper erunt, etiamsi non semper fuerint: unde & in XII. Metaph. cum animam intellectivam à conditione aliarum formarum acciperet, non dixit, quod hæc forma fuerit ante materiam, quod tamen Plato de ideis dicebat: & sic videbatur conveniens materiæ in qua loquebatur, ut aliquid tale de anima diceret; sed dixit, quod manet post corpus.

CAPUT LXXXV.

Quod anima non est de substantia Dei.

I. Part. quæst. xc. art. 1.

EX his etiam patet, animam non esse de substantia Dei.

1. Ostensum est enim supra Lib. I. cap. xv. divinam substantiam esse æternam, nec aliquid ejus de novo incipere. Animæ autem humanæ non fuerunt ante corpora, ut ostensum est cap. lxxxiii. Non igitur anima potest esse de substantia divina.

2. Amplius. Ostensum est supra Lib. I. cap. xxvii. quod Deus nullius rei forma esse potest. Anima autem humana est forma corporis, ut ostensum

est cap. lviii. & lxxviii. & infra. Non igitur est de substantia divina.

3. Præterea. Omne illud ex quo fit aliquid, est in potentia ad id quod fit ex eo. Substantia autem Dei non est in potentia ad aliquid, cum sit purus actus, ut supra I. Lib. cap. xvi. ostensum est. Impossibile est igitur quod ex substantia Dei fiat anima, vel quodcumque aliud.

4. Adhuc. Illud ex quo fit aliud, aliquo modo mutatur. Deus autem est omnino immobilis, ut supra Lib. I. cap. xiv. probatum est. Impossibile est igitur quod ex eo aliquid fieri possit.

5. Amplius. In anima manifeste apparet variatio secundum scientiam, & virtutem, & eorum opposita. Deus autem est omnino invariabilis & per se, & per accidens. Non igitur anima potest esse de divina substantia.

6. Item. Supra ostensum est Lib. I. cap. xvi. quod Deus est actus purus, in quo nulla potentialitas invenitur. In anima autem humana invenitur & potentia, & actus: est enim in ea intellectus possibilis, qui est potentia ad omnia intelligibilia, & intellectus agens, ut ex supradictis cap. lxxvi. & seqq. patet. Non est igitur anima humana de natura divina.

7. Item. Quum substantia divina sit omnino impartibilis, non potest aliquid substantiæ ejus esse anima, nisi sit tota substantia ejus. Substantiam autem divinam est impossibile esse nisi unam, ut supra Lib. I. cap. xlii. ostensum est. Sequitur igitur quod omnium hominum sit tantum anima una quantum ad intellectum: & hoc supra cap. lxxv. improbatum est. Non est igitur anima de substantia divina.

Videtur autem hæc opinio ex triplici fonte processisse.

Quidam enim posuerunt, nullam substantiam incorpoream esse: unde nobilissimum corporum Deum esse dicebant, sive hoc esset aer, sive ignis, sive quodcumque aliud principium ponebant; & de natura hujusmodi corporis animam esse dicebant: nam omnes id quod ponebant principium, animæ attribuebant, ut patet per Aristotelem in I. de Anima text. comm. xix. & infra: & sic sequebatur animam esse de substantia divina. Et ex hac radice pullulavit positio Manichæi, qui existimavit Deum esse quamdam lucem corpoream per infinita spatia distensam cujus quamdam particulam, humanam animam esse dicebat.

Hæc autem positio supra Lib. I. cap. xx. improbatum est per hoc quod ostensum est, Deum non esse corpus: & per hoc quod ostensum est cap. xlix. & lxxv. animam humanam corpus non esse, nec aliquam intellectualem substantiam.

Quidam vero posuerunt intellectum omnium hominum esse unum, vel agentem tantum, vel agentem, & possibilem simul, sicut supra cap. lxxxvi. dictum est: & quia quamlibet substantiam separatam antiqui Deum esse dicebant, sequebatur, animam nostram, idest intellectum quo intelligimus, esse divinæ naturæ: unde & à quibusdam nostri temporis christianæ fidei professoribus, ponentibus intellectum agentem separatam, dictum est expresse, quod intellectus agens sit Deus.

Hæc autem positio de unitate intellectus nostri, supra cap. lxxxiii. & lxxv. improbatum est.

Potuit autem ex ipsa similitudine animæ nostræ ad Deum hæc opinio nasci. Intelligere enim, quod maxime æstimatur proprium Dei, nulli substantiæ in mundo inferiori convenire invenitur nisi homini propter animam: unde videri potuit animam ad na-

turam divinam pertinere, & præsertim apud homines in quorum opinionibus erat firmatum, quod anima hominis esset immortalis. Adhuc etiam coadjuvare videtur quod Genes. i. postquam dictum est: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; subditur: *Formavit Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*. Ex quo quidam accipere voluerunt, quod anima sit de natura divina: qui enim in faciem alterius inspirat, idem numero quod in ipso erat, in alium emittit; & sic videtur Scriptura innuere, quod aliquid divinum à Deo in hominem ad ipsum vivificandum immissum sit.

Sed similitudo prædicta non ostendit animam hominis esse aliquid substantiæ divinæ, quum in intelligendo defectum multipliciter patiat: quod de Deo dici non potest. Unde hæc similitudo magis est indicativa cujusdam imperfectæ imaginis quam alicujus substantialitatis: quod etiam Scriptura innuit, cum dicit, ad imaginem Dei hominem factum: unde & inspiratio prædicta processum vitæ à Deo in hominem, secundum quamdam similitudinem demonstrat, non secundum unitatem substantiæ: propter quod & in faciem spiritus vitæ dicitur inspiratus: quia cum in hac parte corporis sint plurimum sensuum organa sita, in ipsa facie evidentius vitæ monstratur. Sic igitur Deus inspirasse in faciem hominis spiraculum vitæ dicitur, quia spiritum vitæ homini dedit, non eum ex sua substantia decidendo: nam & qui corporaliter insufflat in faciem alicujus, unde videtur sumpta esse metaphora, aerem in faciem ejus impellit, non autem aliquam suæ substantiæ partem in ipsum emittit.

CAPUT LXXXVI.

Quod anima humana non traducatur cum semine.

I. Part. quæst. cxviii. art. 1.

EX præmissis autem ostendi potest quod anima humana non traducitur cum semine, quasi per coitum seminata.

1. Quorumcumque enim principiorum operationes non possunt esse sine corpore, nec eorum initium sine corpore esse potest: sic enim res habet esse, sicut & operatur, cum unumquodque operetur in quantum est ens. E contrario vero quorum principiorum operationes sine corpore sunt, generatio eorum non est per generationem corporis: operatio enim animæ nutritivæ, & sensitivæ non potest esse sine corpore, ut ex præmissis cap. xlvi. & lxxviii. patet. Operatio autem animæ intellectivæ non fit per organum corporeum, ut supra cap. lxxix. habitum est. Igitur anima nutritiva, & sensitiva per generationem corporis generantur, non autem anima intellectiva; sed traductio seminis ad corporis generationem ordinatur. Igitur anima nutritiva, & sensitiva esse incipiunt per seminis traductionem; non autem intellectiva.

2. Adhuc. Si anima humana per traductionem seminis esse inciperet, hoc non posset esse nisi dupliciter. Uno modo ut intelligeretur esse in semine actu, quasi per accidens divisa ab anima generantis, sicut semen dividitur à corpore, ut videmus in animalibus anulosis, quæ decisa vivunt, in quibus est anima una in actu, & multa in potentia; diviso autem corpore animalis prædicti in qualibet parte vivente, incipit anima esse actu. Alio modo ut intelligatur in semine esse virtus productiva animæ intellectivæ, ut sic anima intellectiva ponatur in semine virtute, sed non actu.

Primum autem horum est impossibile duplici ratione. Primo, quia quum anima intellectiva sit perfectissima animarum, & maximæ virtutis; ejus proprium perfectibile est corpus habens magnam diversitatem in organis, per quæ possunt multiplices ejus operationes expleri: unde non potest esse quod fiat actu in semine deciso, quia nec etiam animæ brutorum perfectorum per decisionem multiplicentur, prout contingit in animalibus anulosis. Secundo, quia cum intellectus, qui est propria, & principalis virtus animæ intellectivæ, non sit alicujus partis corporis actus, non potest dividi per accidens secundum corporis divisionem, unde nec anima intellectiva.

Secundum etiam est impossibile. Virtus enim activa quæ est in semine, agit ad generationem animalis transmutando corpus: non enim aliter agere potest virtus quæ est in materia. Sed omnis forma quæ incipit esse per transmutationem materiæ, habet esse à materia dependens: transmutatio enim materiæ reducit eam de potentia in actum, & sic determinatur ad esse actu materiæ, quod est per unionem formæ; unde si per hoc etiam incipiat esse formæ, simpliciter esse formæ non erit nisi in hoc quod est uniti materiæ, & sic erit secundum esse à materia dependens. Si igitur anima humana producat in esse per virtutem activam quæ est in semine, sequitur quod esse suum sit dependens à materia, sicut esse aliarum formarum materialium: cujus contrarium supra cap. lxxix. ostensum est. Nullo igitur modo anima intellectiva producat in esse per seminis traductionem.

3. Amplius. Omnis forma quæ educitur in esse per materiæ transmutationem, est forma educita de potentia materiæ: hoc enim est. Materiam transmutari, de potentia in actum educi. Anima autem intellectiva non potest educi de potentia materiæ: jam enim supra ostensum est cap. lxxviii. quod ipsa anima intellectiva excedit totum posse materiæ, quum habeat aliquam operationem absque materia, ut supra cap. lxxix. ostensum est. Non igitur anima intellectiva in esse educitur per transmutationem materiæ, & sic neque per actionem virtutis quæ est in semine.

4. Præterea. Nulla virtus activa agit ultra suum genus. Sed anima intellectiva excedit totum genus corporeum, quum habeat operationem super omnia corpora elevatam, quæ est intelligere. Nulla igitur virtus corporea potest producere animam intellectivam. Sed omnis actio virtutis quæ est in semine, est per aliquam corpoream virtutem: agit enim virtus formativa mediante triplici calore, scilicet ignis, cæli, & calore animæ. Non igitur potest produci in esse anima intellectiva per virtutem quæ est in semine.

5. Præterea. Ridiculum est dicere, aliquam intellectualem substantiam vel per divisionem corporis dividi, vel etiam ab aliqua virtute corporea produci. Sed anima humana est quadam intellectualis substantia, ut supra cap. lxxviii. ostensum est. Non igitur potest dici, quod dividatur per divisionem seminis, neque quod producat in esse à virtute activa, quæ est in semine; & sic nullo modo per seminis traductionem anima humana incipit esse.

6. Præterea. Si generatio alicujus est causa quod aliquid sit corruptio ejus, erit causa quod illud esse desinat. Corruptio autem corporis non est causa quod anima humana esse desinat, quum sit immortalis, ut supra cap. lxxix. ostensum est. Neque igitur generatio corporis est causa quod anima incipiat esse. Sed traductio seminis est causa propria generationis corporis. Non est igitur traductio seminis causa generationis animæ in esse.

Per